



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Instituitur à Nicolao Eschio sanctiſimè.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

iam nec ingenij culture, nec morum cōmoda esset in patria cōmoratio, Coloniā missus est, vt procul à raptoribus horarum bonarū domesticis, & sodaliū corruptela, sub idoneis Magistris vtraq; excoleret, ac perficeret. Plus annis decē mansit Coloniæ, non tamen sine interiectis subinde peregrinationibus. Primis annis domicilium apud aureos Martyres habuit, in hospitio venerabilis Theologi Andreæ Barduik, Magistrum autem, ac Patris loco diuina prouidentia, quasi Ananiam Paulo præpararat Sacerdotem haud indifertum, sed eundem probatissima vita Nicolaum Eschium, iis maximè deditum studiis, quæ animū ad diuina sustollunt, & Theologia mystica continentur. Quo in genere conscriptas ab eo postea exercitationes quasdam Spiritus, cum bona operis, & auctoris commendatione Laurētius Surius euulgauit. Hic & sua sponte ad morum magis, quàm ingeniorū expolitionem intentus, & inuitatus bonitate adolescentis, multò enixius meliorem illam magisterij partem ad virtutis cōformationem exequi coepit. Assiduus lateri adhærebat simul innocentia custos, simul perfectionis Euangelicæ fator. Simplici, integroque pectori, quasi nitidæ membranæ, puræq; tabu-

*Instituatur
à Nicolao E.
schio sanctif-
simo.*

tabulæ dictata inscribent, atq; decreta Christi. In-
 fusurrabat identidē, atq; ingerebat auribus carmi-
 na huiusmodi, seruire Deo regnare est. Sola salus
 seruire Deo, sunt cetera fraudes. Si Christū bene scis
 fatis; etsi cetera nescis. Adhæc iubebat quotidie per
 legere caput ex diuinis Euāgeliis, & illustrem inde
 sentētiā, quam eo die meditaretur, memoriaq;
 deinceps custodiret, excerpere. Aliorum quoque
 piorum codicum apposita lectione, præcipueque
 sanctorum hominum exemplis imbuebat. Po-
 stremo (quæ certissima est, eademque mollissima,
 & compendiosissima via docendi) sua ipse vita di-
 es ac noctes illustrem ad quæuis decora præporta-
 bat alumno facem. Non aliter, atque facilis cera,
 ac mollis argilla sequebatur Petrus manum fin-
 gentis: sensimque in imaginem pulcherrimam fi-
 lij Dei figurabatur. Dogmata fidei sanctæ in dies
 acrius illustrabant mentē, & magnifica spei Chri-
 stianæ promissa vehementius excitabant; quan-
 tumque cælestes illæ virtutes fidei, speique robo-
 rabantur, tantum mundi amor ac timor euilesce-
 bant: euangelica verò præcepta, & consilia calcar
 fortius, ac desiderium impensius bonæ menti ad-
 iiciebant. Vsq; eo, vt non misericordiæ solūm, sed
 &